



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654


Tractatvs III. De variis speciebus veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

aded, aut omnino vera, aut omnino falsa erit, sicut copulatiua seu disiunctiua, cui æquipollet; alioqui certè aliud valitura.

93 Respondeo: propositio de subiecto vniuersali, cuiusmodi est hæc: *homo currit*; aut hæc, *homo est animal*, plura per modum vnius subiicit, & cognoscit, seu, quod iuxta est, plures affirmationes per modum vnius affirmationis virtualiter, & æquiuenter continet: vna autem affirmatio alteri vniri quodammodo nequit, nisi per particulam, &, aut particulam, vel, proinde id genus propositio æquiuenter particulam cohibebit alterutram, & copulatiua erit, aut disiunctiua. Cæterum propositio de subiecto singulari suapte natura multiplici, ac disparatè cognito plura per modum plurium affirmat, nec æquiuenter complectitur plures affirmationes inter se vnitatis, seu comparatas: non est ergo, cur æquiuenter copulatiua sit, aut disiunctiua.

94 Obiicies secundò, eundem actum futurum esse posse simul bonum, & malum respectu diuerforum obiectorum, ea si disparatè amplectatur. Verum hoc an repugnet, necnè, non est huiusloci. Interim consule Ripaldam citato lib. 3. de ente supernat. disput. 47. sect. 2. circa hanc, & alias similes sequelas.



TRACTATUS III.

De Variis speciebus Veritatis.

CAPVT I.

De veritate complexa, & incomplexa.

1 **V**ERITAS complexa est ea, qua intellectus dicit intra serem esse, vel non esse, quæue componit, aut diuidit. Ad hanc veritatem respexit Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 1. his verbis, *quemadmodum autem in anima conceptus interdum sine veritate, falsitateque est, interdum vero talis, ut alterum horum ei competat necessario; sic & in voce esse videtur: nam & falsum in compositione consistit*. Et lib. 6. metaph. cap. 2. quod autem (inquiens) *tantum verum ens; & non ens, ut falsum: quoniam circa compositionem, & diuisionem est, & omnino circa partitionem contradictionis: verum etenim affirmationem in compositione habet, negationem vero in diuisione: falsum vero huius partitionis contradictionem*. Eodem modo loquitur cap. 3. lib. 1. primi de interpret. & lib. 3. de an. cap. 6. aliisque in locis. Ad eandem veritatem alludit B. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. *proprie loquendo veritas est in intellectu componente, & diuidente non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est*. Eius etiam meminit. 1. contra gentes c. 59. & quæst. 1. de verit. art. 3. Tandem veritatem complexam, ac perfectam veritatis nomine haud raro absolutè vocari solitam in compositione, & diuisione collocant Durandus in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. Herueus quodlib. 3. q. 1. art. 2. Caietanus citata 1. p. q. 16. art. 2. & ceteri communiter auctores. Suadet autem facili negotio: namque hoc ipso, quod intellectus componat vnum cum alio, asseratque Petrum v. g. esse album, si reuera est albitudine præditus, resultat reductio quædam in nobis, ut luce clarius: ergo & veritas: quæ, quia ex genere suo in compositione, aut

diuisione plurium fundatur extremorum, quidni appelletur complexa?

Veritas incomplexa in eo sita est, quod cognitio aliqua sit imago, & representatio propria cuiusdam obiecti, siue de eo aliquid quodammodò asserat, aut neget, siue secus. Hanc admittunt, ac esse propriè loquendo veritatem, tametsi diuersi generis à nuper explicata Aristotel. 3. de anim. cap. 6. text. 26. & 9. metaph. cap. 12. B. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. supra laudatis, & q. 17. art. 17. art. 3. corp. Capreolus in 1. dist. 19. q. 3. art. 1. conclus. 3. Ferrara 1. contra gentes cap. 59 & 60. Soncinas 6. metaph. q. 17. Agidius quodlib. 4. q. 7. Suarez di. p. 8. metaph. sect. 3. 1. onfeca lib. 4. metaph. c. 2. q. 6. sect. 4. Balthasar Tellez in logica disp. 11. sect. 2. Hurtadus disp. 9. de an. sect. 2. Arriaga disputat. 14. log. sect. 4. quamuis hi duo posteriores vocum vsu à nobis dissideant. Probatur autem, ac non agrè: eo ipso, quod quis tantum apprehendat animal rationale, seorsim ab omni compositione, aut diuisione, censetur verum, & quidditatum hominis conceptum efformare: negari ergo nequit, quin propriè loquendo sit aliqua veritas incomplexa distincta ab ea, quæ complexa dici consuevit, & est in componendo, & diuidendo.

Verumenimvero P. Vazquez 1. p. tom. 1. disp. 75. cap. 2. negat esse veritatem propriè eam, quæ dici solet incomplexa, & absque compositione, & diuisione visitur. Primò autem mouetur testimoniis Aristotelis, B. Thomæ, & aliorum antiquorum, quorum est facta mentio huius initio capituli. Cæterum omnes id tantum volunt, veritatem aliquam peculiariter sitam esse in componendo, & diuidendo, nimirum complexam: at aliam incomplexam veritatem propriè talem haud abnuunt, possunt ve: Quid est autem, quapropter veritas complexa speciali modo appellanda sit veritas declarabitur paulo infra.

4 Mouetur secundo, quia in voce simplici nulla est veritas stricte, & propriè, nulla, nisi in oratione composita: nam, si quis proferat hanc vocem, *homo*, nondum verum dicit, aut falsum, ac tum censetur alterutrum dicere, cum ait, *homo est animal*, *homo non est albus*, aut quidpiam simile. Pari ergo ratione in conceptu simplici, nihilque componente, aut diuidente nulla est veritas rigorosè talis: eo potissimè, quod voces non, nisi per imitationem conceptum, ac denominatione ab eis petita veri nuncupentur. Sed dicendum est, simplicem vocem haud esse veritatis expertem: quis etenim neget hoc vocabulum, *homo*, esse verum nomen hominis; eiusque proprium, ac germanum signum; contra verò hanc vocem, *leo*, non, nisi improprium, falsumque, & translatitium eius nomen propter illius aliquando cū leone similitudinem quandam in fortitudine, feritate, aliasve virtutibus, aut vitiis. Quod autem dici consuevit, simplicem vocem, nec esse veram, nec falsam, id accipiendum est de sola veritate, ac falsitate complexa, non verò de omni propriè sumpta.

5 Tertio mouetur P. Vazquez: Contraria sunt circa idem subiectum, & ab eo se mutuo depellant: at simplex conceptus haud est capax falsitatis: licet enim apprehensio aurichalci falsa auri apprehensio dici soleat, sicut ipsum aurichalcum falsum aurum appellatur, remotè tamen, & occasionaliter talis dici debet, eò quod sit occasio iudicij, quo quis aurichalcum verum aurum esse falso diiudicet, cum interim rigorosè ac propriè loquendo sit vera, & germana notio aurichalci, & non alterius obiecti: ergo etiam veritatis propriè sumptæ est incapax conceptus simplex: veritatem autem habet incomplexam: hæc

hæc ergo haud est propriè veritas. Respondendum est, quemadmodum diuina cognitio est propriè vera, & tamen nullatenus esse potest falsa; id etiam, quod cernitur in non paucis iudiciis nostris, ita similiter conceptum simplicem esse posse propriè verum, videlicet incomplexè, tamen si nequeat esse falsus, aut incomplexè, ut constat, quia contraria veritas est ei essentialis, suapteque natura habet, ut sit imago propria sui obiecti, aut etiam complexè propterea quod nihil componat, aut diuidat. Quod autem opponitur, contraria se expellere ab eodem subiecto, adeoque vnum, si conueniat subiecto, posse ei conuenire alterum; veritas ergò, si conceptu simplici comperat: haud posse eum incapacem esse falsitatis; ac huius esse incapacem; ergo & illius: hoc inquam non vrget: primò, quia expellere se ab eodem subiecto duntaxat est de ratione contrariorum, propriissime talium, ut demonstrandum est in metaph. lib. 3. tract. 8. cap. 1. tantam autem contrarietatem fortasse non habent inuicem veritas, & falsitas, saltem aliquæ: rursus secundo, ut loco nuper citato ostendendum est, si fortè vnum contrarium est naturalis, ac inseparabilis proprietas subiecti, haud est necesse, ut possit aliud ei conuenire, & ab eo prius eiicere; idque, etiam si contrarietas non tantum sit propria, sed etiam propriissima: quo pacto nigredo corui strictissime contrariatur eius albitudini, cum tamen hæc coruo haud possit competere, aut ab eo nigredinem abigere.

6 Quamuis autem negandum sit, solam veritatem complexam esse strictè, & propriè veritatem, at id cum omnibus scholasticis concedendum est, eam esse peculiari modo veritatem, quo talis non est incomplexa. Primò, quia perfectior est, quam incomplexa: ac fortassis hæc sola belluis competit, illa verò non homini tantum, sed Deo, & Angelis, quippe quos componere, ac diuidere ponendum & exponendum est in Metaph. lib. 7. tract. 4. cap. 4. Secundo, quia uti homo speciali modo dicitur sensibilis, quo non animal in communi, quoniam super sensibilitatem huius propriam addit differentiam aliquam, & non est sensibilis utcumque, sed cum respectu ad discursus, ac velut eorum principium, & radix in hoc corporis ergastulo, ita similiter haud est, ut dici non debeat veritas complexa speciali quadam ratione veritas, qua non incomplexa, quando non solum commune habet cum hac, quod sit propria imago, & representatio sui obiecti, verum etiam quod illud pro eo, ac est ex parte rei componat, aut diuidat, idque, quod est de eo enuntiet, aut quod non est de eo abnuat.

7 Tercio veritas incomplexa, & simplex haud est aliud, quam veritas transcendentalis cognitionis: quemadmodum enim homo est verus homo, quia propriam obtinet naturam hominis, ita apprehensio hominis est vera, propterea, quod sit propria imago, & similitudo hominis, ut sæpè sæpius dictum. At veritas complexa distinguitur formaliter à veritate transcendentali, quæ consequitur rationem entis in actu. Quarto: veritas complexa ex genere suo sustinet expelli ab actu per contrariam falsitatem, secus verò incomplexa: quamobrem illa dicenda est peculiari modo veritas, quo non hæc: ad modum, quo in actibus liberis, & humanis est specialis bonitas, quæ non in aliis entibus necessariis: ab illis enim non ab his exterminari potest bonitas per contrariam malitiam moralem. Quintò veritas complexa, sin minus semper, at certè haud rarò constituitur per actum, & obiectum, ut visum est supra tract. 2. c. 3. 4. & 5. cum tamen incomplexa

iuxta prerosque authores (nec enim modò libet meam interponere sententiam) sita sit in actu solo, & quod hic sit cognitio, siue imago rei cognita per rem ipsam, nec ex parte constituitur.

Sexto tandem: veritas incomplexa est in cognitione tanquam in habente illam: at quæ est complexa, est in actu, non solum velut in obtinente illam, sed etiam velut in cognoscente illam, si non signatè, at saltem virtualiter, & exercitè: quando namque post duplicem apprehensionem, alteram hominis, alteram animalis superuenit iudicium, complexè verum, asserens, hominem esse animal, id certè implicitè, & in actu exercito, ut aiunt, adstruit, conceptum animalis esse conformem homini, eiusque imaginem, & representationem: nam re ipsa perinde est, hominem, & animal esse idem, quod asseritur in actu signato, atque conceptum vnius alterutrum quodammodo exprimere, & ei esse conformem. Atqui cognitio incomplexè vera haud componit vnquam vnum cum alio, haud consequenter conceptum præuium vnius cum alio comparat, aut vtriusque conformitatem vllatenus representat.

CAPVT II.

De veritate apprehensua, & iudicatiua.

9 Circa quas id impræsentiarum disputandum est, an sola veritas iudicatiua sit complexa, vel potius, quod talis sit, id cum illa commune habeat veritas apprehensionis propria. Assero primo: Probabile est, apprehensionem meram, nihilque cohibentem iudicii, aliquandò tamen esse complexè veram, vnumque cum alio componere, & diuidere. Suadet autem hunc in modum: uti se habet voluntas inefficax ad efficacem, ita apprehensio ad iudicium: atqui non efficax tantum voluntas, sed etiam aliquando inefficax componit affectiue vnum cum alio, vnumvè ab alio ita diuidit, ut cum Deus vult omnes homines saluos fieri, & salutis cum hominibus quandam facit comparisonem, siue compositionem, neutiquam efficacem, vel ad exitum deducendam; aut contrà, cum nullum hominem vult peccare, ac denominationem peccantis ab homine separat affectu non omnino efficacem, sed potius eo, quem sæpè tanto cum damno nostro frustramus. Similiter ergo haud iudicium tantum, sed etiam apprehensio infra iudicii perfectionem longo sitens interuallo poterit cognoscitue extrema aliqua componere, & diuidere.

Rursus secundo: (eodem fermè redit:) voluntas inefficax potest frustrari, & cassà reddi: ergò & aliqua apprehensio mera similiter poterit falsificari: at apprehensio nihil componens, aut diuidens haud potest effici falsa: eius enim veritas est incomplexa, & non alia, quam quod sit imago propria sui obiecti: hæc autem ratio imaginis ei nè diuinitus deesse potest: ergo nec veritas eam potest deficere, aut in falsitatem commutari: admittenda igitur apprehensio componens, aut diuidens extrema, quæ sit falsitati obnoxia: id genus autem apprehensio citrà dubium esse potest complexè vera. Tercio: Nequaquam credibile videtur, quin bruta quodammodo componant, ac diuidant: quorum enim ouis lupum fugit, nisi eum esse sibi inimicum imaginatur: aut contrà cur pastorem agnoscit, sequiturque nisi, quia sibi conuenientem apud se statuit? Sed in belluis

belluis haud est iudicium, haud, nisi apprehensio mera: hac ergo capax est veritatis complexæ, siue compositionis, & diuisionis. Atque ita absolute sentiunt Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Bargius in 1. dist. 1. quæst. 3. Apollinaris 3. de an. quæst. 24. Niphus quæst. 19. text. 21. & apud eum Auerroes, in hac verba: *intellectus primò intelligit singularia, deinde ea componit aut diuidit: tertio indicat.* Item Durandus quæst. 1. prologi, Okamus, & Gabriel ibidem, & cum eis Marfilus quæst. 1. prologi art. 1. Ex nostris Card. Tolet. 3. de an. q. 19. & quamuis vocibus dissentiant, re tamen vera Hurtadus disp. 9. de an. sect. 2. §. 8. & Arriaga disput. 14. logic. sect. 4. conclus. 2. num. 74.

11 Oppones tamen primò. Si apprehensio esset non solum incomplexè, verum etiam complexè vera, vnumque cum alio componeret, aut ab alio differeret, sanè iudicium foret, cum hoc situm sit in componendo, & diuidendo, in eoue, quod rem esse aut non esse significet. Respondeo, apprehensionem ita significare rem esse, aut non esse v.g. Petrum album esse, aut non esse album, vt sit compossibilis ex natura rei, & citra miraculum cum apprehensione oppositum statuente: vnde nil mirum, si neutra sit affirmatio, aut iudicium, cum non firmiter, aut efficaciter adhæreat obiecto suo, aut circa illud pugnent, seue expellant: alterutra ergò tantum est dicenda semi assensus quidam, aut affirmationis inchoatio quædam, & vmbra, vel si maius dubietas aliqua, quam his vocibus commodè exprimas: Petrus fortè est albus: Petrus fortè non est albus. Confule disputata superius lib. 4. tract. 1. cap. 3. vbi deliberatum est à nobis iudicium consistere, non in eo tantum, quod esse quidpiam tale, aut non esse adstruat, sed in hoc insuper, quod aliud oppositum adstruens in eodem intellectu secum non toleret.

12 Oppones secundò. Propositio ab Aristotele 1. de interpr. c. 4. vel definitur, vel certè describitur, quæ verum, vel falsum significat: at non explicat Philosophus iudicium per falsitatem, aut veritatem in complexa, vt per se claret, vtque omnibus est in confesso: ergò per complexam: hæc ergo haud potest in apprehensionem conuenire: quid enim esset ineptius, quam iudicium explicare per id solum, quod ei cum apprehensione commune est, & non minus, huic, quam illi competit.

13 Nihil est in hoc argumento momenti. Et inprimis, quod valde absurdum est, eo conficitur, in apprehensione non solum non esse veritatem complexam, sed etiam nullam propriè sumptam: nam si ad verba Philosophi attendas, ea certè nullius veritatis distinctionem faciunt, sed omnem indiscriminatè comprehendunt. Rursus secundò: quemadmodum aduersarij Philosophum de veritate non incomplexa, sed complexa, quarum neutram exprimit, tamen explicant, cur non æqui, bonique consulant, si nos etiam eum explicemus de veritate complexa, non tamen quacunque, sed ea solum, quæ est incomplexibilis cum actu oppositum affirmante: ita autem liquet, quamuis apprehensio sit quodammodo vera complexè, haud propterea debere esse iudicium huiusve definitionem ab Aristotele traditam fortiri.

14 Oppones tertio. Fieri nequit, vt apprehensio aliqua componat vnum cum alio, eave diuidat, ac discernat inuicem, quin subiectum, ac prædicatum, & copulam realem, adeoque totum obiectum iudicij cognoscat. Atqui iudicium, & apprehensionem conuenire in obiecto videtur absolum: actus enim

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

specificantur ab obiecto: proinde repugnat, vt diuersi actus, cuiusmodi haud dubiè sunt iudicium, & apprehensio diuersa etiam obiecta non vendicent, vtve eodem sint contenta. Respondeo apprehensionis, & iudicij idem esse posse, & solere obiectum, vt latè, ac pro dignitate demonstrandum à me est in met. lib. 7. tract. 4. c. 1. vbi etiam multis exemplis ostendam, haud ita specificari semper actus ab obiectis, quin plures ac diuersi in vnum, idemque ferantur sapissimè.

15 Oppones quartò, & vltimò. Si apprehensio componens, ac diuidens est possibilis, pro eo acitauimus, in Deo erit necessario admittenda: eius enim intellectus cognoscit totum obiectum huius meæ propositionis vocalis, aut mentalis, *homo est equus*, at illud non iudicat, eique nullum præbet assensum, vt est certo certius: id ergo tantum apprehendit: apprehendere autem hominem v.g. esse equum, est alterum cum altero apprehensiuè componere, si fortè apprehensioni conuenire potest, quod componat, aut diuidat: haud igitur eo principio concessio negari potest, quin Deus apprehensionem habeat componentem, aut diudentem extrema à se cognita. Consequens autem est absurdum: sit enim ex eo ulterius. Deum fingere, & errare: quæ enim vltimam fictio, nisi talis sit per apprehensionem strictè dicere quod homo v.g. sit equus, cum tamen à natura equi quam longissimè absit.

16 Respondeo, citato lib. 7. Metaphysicæ eiusque tract. 4. c. 1. vbertim à nobis declarandum esse, haud perinde esse actum aliquè attingere compositionem obiectiuam extremorum quorundam, vnumve eorum esse re ipsa aliud, atque componere, aut asserere eorum identitatem, quam obrem, tametsi Deus Optimus Maximus attingat identitatem hominis cum equo à me falsò cognitam, haud propterea eam etià apprehensiuè, & ineffaciter asseret. Et quidem id genus apprehensio, qua quodammodo dicatur hominem esse equum, quin planè id decernatur, aut iudicetur, licet vltro permittamus eam non esse absolute falsam, & erroneam propter illius ineffacitatem, ac remissionem in componendo, nihilominus Deo repugnat: haud enim est in eo vtilis, vel necessaria, quia obiectum ita se habet, potius enim aliter se habet, haud etiam, vt disponat ad iudicium virtualiter distinctum, ac subsequens de eodem obiecto commentitio, ac falso: tale siquidem iudicium in Deo locum non habet iuxta omnes: haud etiam vt disponat ad iudicium de contrario obiecto verò: potius enim ab eo auertit eiusmodi apprehensio: quorsum ergo adstrui debeat in Deo, tametsi in nobis admittatur.

17 Assero secundò: Probabilius nihilominus est, solius iudicij proprium esse componere, & diuidere, & veritatem, ac falsitatem complexam suscipere. Ita Gregorius quæst. 1. prologi art. 3. Fonseca lib. 4. metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 6. Conimbr. tom. 2. log. in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 1. vbi etiam pro eadem sententia referunt Aristotelem, Boëtium, B. Thomā, Albertum, Caietanum, & cæteros Thomistas. Suadet autem primò, quia ex ipsis terminis manifestum videtur, haud aliud esse iudicare, siue enuntiare quam componere, ac diuidere, quamve asserere, quod res sit, aut secus. Secundò, quia qualitercunque & quantumuis imperfectione sequatur, cognitio identitatis extremorum inter se ex præmissis, quarum est cognoscere eorum mediatam, siue in tertio identitatem, eo ipso talis illatio est discursus, & tertia operatio intellectus: quo ergo cunque modo, & quantumuis imperfectè diuidat, aut componat in-

K k telle

tellectus, censendus tamen erit iudicare, ac secundam, quam vocant, operationem suam exercere.

18 Tercio ex libertate, & indifferentia voluntatis oritur, vt possit affectiue componere, ac diuidere, idque non vno modo, sed multiplici, ac prius ineffaciter, & postea efficaciter, & perfecte, aut è conuerso diuersisque motibus, & contrariis intentionaliter ferri, atque hac, illac agi: intellectus ergò cum non sit potentia libera, sed necessaria, haud poterit componere, aut diuidere, nisi vno modo, haudvè plus asserere per apprehensionem, quod negat per iudicium, aut per illam negare, quod per hoc adstruit, quam lapis potest, cum ruit deorsum simul niti sursum. Quarto: aut omnis compositio, ac diuisio intellectus nostri est naturaliter impossibilis cum alia opposita, & contrarium adstruente, aut potius cum ea componi apta nata. Secundum haud videtur posse sustineri: qui enim fieri potest, vt intellectus contradictoria simul asserat, etiam imperfectè? Quod si admittatur primum; consequens est, vt omnis compositio, & diuisio sit iudicium, & nulla possit esse apprehensionis propria: illius enim ab hac id discrimen à nobis traditum est supra lib. 4. tract. 1. cap. 3. quod sit actus intellectus cum alio circa idem obiectum ex modo sui tendendi impossibilis, naturaliter vtique, ac citrà miraculum.

19 Hinc liquet ad primum, & secundum argumentum à nobis adducta in probationem contrariæ assertionis. Ad tertium respondeo, vt bellæ obiecta sibi conuenientia appetant, aut dissentanea refutent, sat esse, ea si simpliciter apprehendant, & absque vlla compositione, & diuisione ex parte actû solam compositionem, aut diuisionem obiectiuam cognoscant. Quamuis autem, hæc propter, probator nobis sit eorum opinio, qui soli iudicio vim tribuunt componendi, ac diuidendi, at haud improbabile etiamnum arbitramur, eadem vi pollere apprehensionem meram. Quæ porro à nobis obiecta sunt in contrarium, etsi satis verisimilia sint, haud tamen omnino conuincunt.

20 Etsi enim euidentis appareat, componere, aut diuidere perinde esse, ac iudicare, id fortasse oritur ex eo, quod deludatur intellectus noster similitudine, & cognatione apprehensionis componentis, diuidentis vt cum iudicio. Quod ad secundam rationem nostram attinet, vt vnius iudicij ex alio sequela semper est discursus, & tertia mentis operatio: ita similiter omnis affirmatio, hoc est omnis assensus firmiter adhaerens obiecto, & circa illud impossibilis cum alio contrario est iudicium, & secunda intellectus operatio: huius certè cum tertia sic optimè seruatur propositio, quin vt ambæ sibi respondeant opus sit, vt quemadmodum omnis sequela conclusionis ex præmissis est discursus, similiter omnis compositio, & diuisio sit iudicium. Et quidem, vti non omnis cognitio sequens duas præmissas rationem obtinet discursus, vt patet in apprehensione quauis vi præmissarum excitata, ita forsitan haud est, cur omnis cognitio componens, & diuidens esse debeat iudicium.

21 Tertiæ rationi nostræ potest satisfieri sat probabiliter, hunc in modum. Quamuis intellectus sit potentia formaliter necessaria, at certe est radicaliter libera: quippe subdita imperio voluntatis: nil mirum ergò, hæc si possit eum inlectere in varios actus, & facere, vt componat apprehensiue ea quæ iudicando diuidit, aut contrà per apprehensionem diuidere, quæ iudicatiue, vt sic dixerim, componit: haud aliter ac ipsa nunc hac nunc illac sese inclinat. Hæc autem ratio haud procedit in lapide, & aliis similibus

rebus, quæ ne in radice sunt liberæ, sed profus necessaria. Ad quartam rationem nostram dicendum est, non aded manifestum esse, quod intellectus nequeat simul contradictoria asserere imperfectè, & inchoatè, eisque semi assensum præbere, quin multi, inter quos Auerroes 6. metaph. comment. 8. contrarium sentiant.

CAPVT III.

De veritate mediata, & immediata, practica, & speculatiua.

22 Circa priorem diuisionem, earum quæ titulo capitis sunt præfixæ, veritatis scilicet in mediata, & immediatam id modo discutiendum est, an illa sit maior, quam hæc, præmissalque, quod consequens, est denominet veriores assensu conclusionis Sententiam negantem amplector, & hunc in modum suadeo. Nulla propositio potest esse verior alia omnino verior: ita B. Thomas q. 1. de veritate art. 9. Ferrariensis 1. contragent cap. 13. ad finem. Conimbricenses tom. 2. log. 1. poster. cap. 2. q. 2. art. 5. Hurtadus disp. 11. log. sect. 2. §. 8. Arriaga disp. 14. log. sect. 3. num. 66. Balthasar Tellez parte 1. in logicam disp. 17. sect. 4. num. 1. At conclusio, vt supponimus, est omnino vera, & nullo modo falsa: nequeunt igitur præmissæ ea esse veriores: minor, & consequentia sunt extra dubium: maior probatur; veritas consistit in eo, quod obiectum actus sit absolute, & quomodocunque, dummodo id sit, quod affirmatur: is autem essendi modus aded præcisus nullam admittit inæqualitatem, totusque positus est in indiuisibili: in eo igitur est sita veritas: haud ergò vna potest esse maior alia, aut reddere vnam propositionem veriorē alia; haud secus, ac quia punctum consistit in indiuisibili, vnum nequit esse maius alio. Confirmatur probatio maioris alio exemplo, haud minus appposito: linea A si omnino æqualis, & conformis sit lineæ B, alia nulla ei esse potest magis æqualis, vt certo certius: similiter ergo in præsentī &c.

23 Sit tamen primum aduersus nostram sententiam argumentum: ex ipsis terminis manifestum videri, hanc propositionem, *Dem est*, veriorē esse, quam istam, *Petrus est*. Respondeo, veritatem actus aliam esse formalem, ac sitam in eius adæquatione, & conformitate cum obiecto, & hanc propter dicta haud suscipere magis, vel minus: aliam verò esse radicalem, & à certitudine, ac infallibilitate actus indistinctam; & hanc subire magis, & minus iuxta disputanda in Metaph. lib. 7. tract. 6. cap. 5. Quando ergo velut manifestum ab omnibus admittitur, propositionum nobis obiectarum priorem esse magis veram, quam posteriorem, id intelligendum est de maiori veritate radicali, siue de maiori certitudine, non autem de maiori veritate formali, qua de tantum agitur impræsentiarum.

24 Secundum argumentum contrarium est, vnum actum voluntatis esse meliorem in genere moris alio; quid ni ergo, & vnus actus intellectus esse possit verior alio? vt enim veritas posita est in conformitate cognitionis cum obiecto, ita & bonitas moralis in conformitate voluntatis nostræ cum ratione: posterior ergò conformitas, si admittit magis, & minus, cur non & prior? Respondeo, conformitatem cum ratione, ac syndaresi magis, & minus suscipere, vnumque voluntatis actum (quod perinde est) esse posse rationi conformiorem alio, quia ratio potest,

potest, & solet magis dictare vnam actionem, quam aliam, eamque velut magis perfectam, & laudabilem præscribere, illam v. g. quæ sub consilium cadit, quam, quæ duntaxat sub præceptum: mirandum ergo non est, si bonitas moralis in prædicta conformitate sit reapse sit inæqualis: Atqui conformitas cum obiecto ita omnino existente, vt affirmatur per cognitionem, haud subit magis, minusve vt prædictum est: nam si vna res existit, pro eo, ac enuntiatur, certe nequit alia ita magis existere, quod adeo manifestum est, vt ex ipsis terminis fidem asserat: nec refert existentiam Dei v. g. maiorem, ac perfectiorem existentia creaturæ cuiusvis, & si placet, illum magis existere secundum se, esseque magis ens, quam hanc: haud enim ob id magis existet Deus, vt affirmatur per actum verum, quam creatura, hæc, si omnino existit, vt cognoscitur. Quocirca veritas in conformitate cum obiecto sita non erit inæqualis, non vlla maior, quam alia. En quatenus, admisso argumenti antecedente, eius consequentia est nulla. Et quidem eam nullam, ac friuolam esse iam olim innuit Plato in Theæreto hisce verbis; *ego autem meliora aliis alia dico, veriora nequaquam*,

25 Tertium argumentum contrarium est tale. Vnus actus intellectus esse potest, soletque; falsior alio: vnus igitur esse sustinet verior alio: quidni ergo præmissæ conclusionem veritatis gradu antecellant? Respondeo cum Hurtado supra citato, & aliis, negato antecedenti. Siquidem, esto, propositio aliqua affirmet, viginti homines currere nullo currente, & alia enuntiet, viginti equos currere currentibus vnde viginti, & vno tantum non currente, haud propterea prior erit magis falsa, quam posterior. Ratio est, quia falsitas consistit in indiuisibili non minus, quam veritas, in eoque sita est, quod obiectum actus absolute non sit, uti repræsentatur: tam autem non est, vt cognoscitur obiectum posterioris, quam anterioris: falsitas ergo vnus tanta est quanta alterius. Quod porro affirmans viginti homines currere in pluribus deficiat à veritate, nihilque eius, quod affirmat, sit à parte rei, cum tamen affirmans cursum viginti equorum in tot obiectis non deficiat à veritate, & aliquid saltem eius, quod enuntiat, sit à parte rei, haud arguit falsitatem vnus esse maiorem falsitate alterius, sed à pluribus eam enasci causis: quilibet enim viginti hominum à cursu cessans falsificat priorem propositionem, facitque, vt absolute non sit eius obiectum, hoc est viginti homines currere: at vnus tantum equus non currens in causa est, vt propositio viginti equorum affirmans cursum, haud sit vera. Quo ergo plura sunt viginti, quam vnum, eò plures sunt causæ falsificantes priorem propositionem, quam quæ posteriori falsitatem inludunt. Cæterum hinc haud colligitur, vnam falsitatem esse maiorem alia, ambæ si sumantur propriè, & secundum se: quo pacto etsi pluribus de causis existat vnus ignis, quam alius, alterque producat simul à Deo, sole, & alijs ignibus, alter vero à solo Deo, haud propterea alter altero magis existet.

26 Enimvero alij, inter quos Arriaga, censent, vnum actum intellectus esse magis falsum alio, quamuis vna veritas aliam nequeat superare. Pro quorum sententia oppones primò. Tamen vna æqualitas alia maior esse nequeat, tamen vna inæqualitas potest esse maior alia cum linea bicubita magis inæqualis sit lineæ quincubita, quam lineæ tricubita: similiter ergo licet vna veritas esse non possit alia maior, tamen vna falsitas antecellere valebit aliam. Respondeo primò. Inæqualitas vnus li-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

nea respectu alterius est necessariò coniuncta cum earum æqualitate, quoad aliquas partes: quamobrem quò plures fuerint partes æquales vnus lineæ, quam alterius intuitu tertiæ, eo vna, quam alia intuitu tertiæ minus erit inæqualis, & contrà, quò pauciores, magis inæqualis: at cum propositio aliqua est omnino falsa, nulla eius pars obiecto conformis, aut vera est: vnde perperam ab inæqualitate ad falsitatem arguitur in præsentia. Respondeo secundò: inæqualitatem vnus dici maiorem alia, non propriè, & primario, sed improprie, & secundario: vt propter id aliqua linea dicatur quodammodo magis inæqualis alteri tertiæ, quam alia, quoniam vna in se est maior, ac longior, quam alia pluribusque partibus prædita, non verò eo, quod ipsa relatio inæqualitatis immediate, & strictè inæqualitatem subeat vllam. Vide quæ in hanc rem disputabimus in metaph. libr. 3. tractat. 6. capit. 25. parum ab initio.

27 Oppones secundò: & eodem fermè recurrit. Quamuis, si duo sint Romæ, tam sint in vrbe ambo, nec magis reuera vnus, quam alter, tamen qui Roma abunt, haud æque ab ea distant, sed plus ille, qui est in Hibernia, quam qui Neapoli, aut Venetiis. Similiter ergo, licet veritas, quæ posita est in eo, quod obiectum reipsa sit, haud esse possit maior in vno actu intellectus, quam in alio, at nihilominus falsitas collocari solita, & iure merito in eo, quod non sit obiectum reipsa, sed potius in illius veluti distantia à veritate, esse poterit maior in vna cognitione, quam in alia. Verum respondeo vt paulo supra, etiam distantiam vnus haud esse maiorem alia, nisi mediatè, & secundariò, videlicet, quia interuallum, ac spatium fundans vnus est maius, quam id, quod est fundamentum alterius, siue, quod instat est, quia maiori intercapedine loci distant, ac fecernuntur extrema vnus distantia, quam alius, cum interim ipsa relatio secundum se, ac propriè sumpta consistat in indiuisibili, nec admittat inæqualitatem: posita enim est in eo, quod vnum extremorum non sit immediatum localiter alteri: quod autem maior sit, vel minor intercapedo faciens, vt vnum non sit absolute alij immediatum, aut spatio loci proximum, id est per accidens respectu ipsius relationis distantia, eam si ad metaphysicum, ac scholasticum rigorem exigamus.

28 Oppones tertio. Etsi inter duo puncta non possit produci vna linea recta maior, ac longior alia, sed omnes rectæ duo inter extrema sint necessariò æquales: at obliquarum diuersa est conditio, earumque vna potest aliam excedere. Pari ergo ratione veritas, quæ est rectitudo quædam actum, & obiectum quodammodo interiecta, & ab hoc in illum deriuata, poterit esse inæqualitatis omnis nescia, & ea, quæ nusquam sit maior, minorve, quam alia, quin exinde liceat inferre, falsitatem, quæ est obliquitas quædam cognitionis, & etiam facultatis cognoscitiuæ, haud posse esse nunc maiorem alia, nunc minorem. Respondeo, lineam obliquam haud consistere in indiuisibili, sed partibus coalescere: mirum ergo non esse, si admittat magis, & minus, quorum est incapax falsitas, propterea, quod iuxta superius disputata posita sit in indiuisibili. Quo autem iure linea obliqua respectu alterius vtrinque pariter terminata subit inæqualitatem, quia est diuisibilis, & partibus coherens, eo ipso certè linea recta, quæ haud dubie partibilis, ac diuidua est, esse posset modò maior, modò minor inter eosdem terminos, nisi eius oblatet definitio: at obstat: eam enim definit Archimedes apud Clauium nostrum lib. 1. elemen-

K k 2 torum

torum definit. 4. minimam earum, que terminos habent eodem, & Campanus, breuissimam ex vno puncto in aliud extensionem: fieri autem nequit, vt linea minima, ac breuissima sit minor, breuiorque alia, vtve sit alia maior, ac protractior, vt est luce clarius. Cæterum lineæ obliquæ definitio nullam eiusmodi inæqualitatem duo inter extrema prohibet.

29 Oppones quartò. Peccatum, quod est error quidam voluntatis, suscipit magis, & minus, vnumque est grauius alio: similiter ergò error intellectus, & falsitas haud semper est æqualis, sed iam maior, iam minor. Consequentia videtur perspicua. Antecedens est fide sanctum aduersus Stoicos, quos delusit exemplum distantie, & aliarum relationum prædicamentaliū haud admittentium formaliter, & proprie magis, & minus: hinc tritum illud inter eos dictum quod referunt Ceporinus in scholiis super Dionysium de situ orbis, Suidas, & alij: qui centum stadiis distat à Canopo, & qui vno, æquè non est in Canopo: sic quoque plus, & minus peccatum æquè non est in re: id æquè agendo, id est plus, inquit, & minus non proprie, & re ipsa, sed improprie, & ex vulgi sensu: Stoicis accedere videtur Lipsius in lib. quem edidit de constantia.

30 Respondeo, perperam argui impræsentiarum ab errore voluntatis ad eum quo intellectus deuiat. Primum, quia plerique aduersariorum contra Stoicos Catholicè tuerentur, actus voluntatis alios esse meliores aliis: & tamen intellectus actus haud propterea iuxta ipsos sunt alij aliis veriores: quanquam ergò voluntatis actus sint inæqualiter mali, non ob id fiet actus intellectus esse inæquali ratione falsos. Secundo, quia malitia moralis sita est in difformitate cum dicamine rectæ rationis: ratio autem dicat magis vnum flagitium esse vitandum, quam aliud v.g. parricidium, quam alterius sanguine non deuincti cædem, & incestum, quam simplicem fornicationem: difformitas ergò illa, ac proinde malitia in genere moris poterit esse iam maior, iam minor: cæterum difformitas cum obiecto, in qua constituitur falsitas, semper est eadem, vt toties decretum est, neque potest cre cere, aut decrefcere: haud enim aliud est iuxta superiora, quam obiectum non esse absoluè: vt affirmatur: quæ negatio præcisa est, atque abstracta ab omnibus circumstantiis, vnde oriatur inæqualitas: omnesque intuitu illius, adeoque falsitatis se habent omnino per accidens.

31 Oppones quintò Aristotelem lib. 4. metaph. c. 4. ad finem, vbi sic loquitur: *ineft tamen in rerum natura magis, & minus: neque enim æquè paria esse duo, ac tria dixerimus, nec decipietur æquè, qui quatuor, atque is, qui mille quinque esse existimauerit: quod si non æquè decipiuntur, perspicuum est, alterum minus decipi.* Ecce iuxta Aristotelem deceptio, & falsitas subit magis, & minus.

32 Verum, si ad Aristotelem appellandum est, is haud magis loquitur allegato loco de falsitate, quam de veritate: statim enim subiungit ibidem: *quo fit, vt magis verum dicat* (is scilicet, qui minus decipitur) *si ergò id, quod magis tale dicitur, propius accedit, & erit profectò aliquid verum, cui magis verum sit magis propinquum.* At Arriaga, & plerique aduersariorum haud admittent, consentaneum esse Aristoteli, aut veritati, quod hæc sit modò maior, modò minor. Quapropter nec Aristotelicum esse potest eorum dogma, qui falsitati inæqualitatem tribuant. Respondeo ergo pro cunctis, sermonem esse philosopho eo loci, quo obiicitur, de falsitate, non formali, quæ de tantum agitur, sed radicali, quæ nihil aliud est, quam impossibilitas actus, vt

fuo conformetur obiecto: hæc autem est sapissimè maior in vno actu, quam in alio saltem extensiuè: nam quo plures homines v.g. non currunt, eo plus impossibilis est hæc propositio, *viginti homines currunt*, obiecto suo conformari, ac vera euadere: quando quidem ergò omnes viginti non currunt, toties certè est impossibilis eius actus veritas, & cum obiecto conformitas. Cæterum vnde viginti equis currentibus, & vno solo non currente semel tantum repugnat hunc actum, *viginti equi currunt*, esse verum: nec nisi vna tantum est impossibilitas, vt suo conformetur obiecto, ac verus euadat.

33 Porro, vt ad principale reuertamur insitum, aduersus nostram sententiam de æqualitate veritatis mediata, & immediata quartum, & postremum argumentum sic se habet. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: sed conclusio est vera propter præmissas: hæc ergò sunt conclusiones veriores, adeoque immediata veritas mediatam superat. Cæterum in Metaph. lib. 7. tract. 6. cap. 6. multis exemplis est à nobis declaratum Aristotelicum illud axioma propter quod vnumquodque tale, &c. haud vbiuis valere, tantumque esse necessatio, & irrefragabiliter verum in causis finalibus, ac voluntariis: hoc enim ipso, quod voluntas amet medicinam propter salutem, hanc oportet magis amari. At præmissæ eo genere causæ haud concurrunt ad conclusionem, sed potius è conuerso, cum voluntas nostra non alio fine præmissas imperet, nisi, vt conclusio sequatur: hæc ergo poterit esse non minus vera, quam principiorum assensus.

34 Quod deliberatum hæctenus, omnes actus veros esse æqualiter veros, falsosque similiter æqualem habere falsitatem, ea certe lege tenendum est, si actus sint omnino tales, falsique pariter nihil admixtum habeant veritatis: sin autem sermo sit de actibus, partim veris, partim falsis, & vtrique denominationi simul obnoxii, ob respectum videlicet ad plura obiecta disparata, & sine ordine vnius ad aliud expressa; ita certe haud inficiet, vnum actum alio esse veriore, aut falsiore: v.g. hunc *Petrus currit*, *Paulus currit*, ambobus currentibus esse veriore, actu isto, *Ioannes loquitur*, *Ignatius loquitur*, altero duntaxat eorum loquente: prior enim est omnino vera, posterior vero ex parte falsa: illa etiam esset hæc falsior, si, nec Petrus, nec Paulus current pro eo, ac posset contingere.

35 Iam, quod superest, id breuiter explicandum est circa posteriorem diuisionem huic capiti præstitutam, eam videlicet, quæ veritas dissecatur in speculatiuam, & practicam, an harum vtraque sit proprie veritas, id est, an, non solum cognitio speculatiua, sed etiam practica sit strictè vera? Esse tuerentur cum Aristotele 6. Ethicorum cap. 2. Franciscus Suarez disput. 8. metaph. sect. 5. & cæteri omnes scolastici. Atque iure merito Nam in primis quis denegare aufferit veritatem diuinæ cognitioni? at ea est practica respectu creaturarum, ad quarum dirigit effectum.

36 Deinde, scientia rigorosè sumpta, est, non solum speculatiua, sed etiam practica multoties: quamuis enim id negent Sanchez tom. 1. log. quæst. 12. Vallius, posterior disp. 4. parte 3. quæst. 4. & quidam alij; at probatum est à nobis supra lib. 2. huius operis tract. 3. & 4. estque Aristotelis lib. 1. metaph. cap. 2. & lib. 2. text. 3. quem sequuntur Suarez vbi supra, Auerfa quæst. 26 log. sect. 3. & quæst. 27. sect. 1. & communiter reliqui Doctores: sed omnis scientia est vera: aliqua ergò cognitio vera est practica,

ac proinde è conuerso aliqua practica est vera. Tandem à priori cognitio vera est ea, cuius obiectum ita se habet, sicut per illam representatur: at cognitionis practica, qua dialecticus tradit definitionem esse componendam ex genere, & differentia, aut architectus domum esse fabricandam ex tecto, & parietibus obiectum perinde se habet, ac affirmatur: quidni ergo sit vera.

37 Enimvero obiicies primò, cognitionem speculatiuam in eo iuxta omnes differre à practica, quod huius finis sit opus, & illius veritas, vtique obiectiua: prior ergo sola erit formaliter vera, non verò posterior, cum sine veritate obiectiua repugnet formalis. Obiicies secundò: obiectum est mensura veritatis, quæ respicitur in actu, vt innuit B. Thom. 1. part. quaest. 16. art. 1. at solius cognitionis speculatiuæ veritas mensuratur ab obiecto, non verò practica: quamuis enim ideo sit vera speculatiua scientia, quia eius obiectum est, at non idcirco cognitio practica est vera, quia eius obiectum est, sed potius ob id illius obiectum, videlicet res artefacta verè est, quia præcessit in artifice practica, & artificiosa cognitio ad eius effectum dirigens, eamque cauans quodammodo.

38 Ad primum horum respondeo, cognitionis practica finem dici opus, non veritatem obiectiuam, non quod hanc non respiciat, sed quod in ea more speculatiuæ cognitionis non sistat, sed ulterius ad eius executionem gradum faciat. Ad secundum respondeo, si mensura veritatis perinde sit, atque causa illius obiectiua, merito cuius refunditur in actum pro eo, ac loquuntur communiter auctores, certè ea relatio mensurae non est necessaria ad omnem veritatem: cognitio namque Dei de seipso est verissima, & tamen est ab obiecto, vt indistincta, sic incausata: item est vera intuitu creaturarum, quarum tamen nulla in veritatem Deo essentiali causali-
tas, nullus influxus: poterit ergo cognitio nostra practica esse vera, vt veritas haud mensuretur ab obiecto: Quid: quod ab eo mensuratur: obiectum enim huius actus, definitio est oratio constans genere, & differentia, bifariam vsurpari potest, & solet: primo existentialiter, secundo essentialiter. Priori ratione non mensurat regulam illa practica, & dialectica, sed potius ab ea mensuratur: haud enim ideo illa est vera, quia existit definitio per eam cognita: quin, esto intellectus nihil actu definiat, ei veritas sua manebit facta, atque tecta: quod si fortè contingat, intellectum quidpiam definire, ideo existet definitio, quia est vera præfata regula, quatenus sit definiendum ostendens. Posteriori ratione obiectum mensurat cognitionem practica: ideo enim illa, qua vsi sumus exempli gratia, est vera, quia essentia definitionis est, constare genere, & differentia: & huiusmodi connexio essentialis prædicatorum prior natura est, quam teius cognitio sit vera, non è conuerso: atque quoad hoc nullum est discrimen scientiam practica inter, & speculatiuam.

C A P V T I V.

De veritate copulatiua, & disiunctiua causali & absoluta.

39 Quid attinet ad priorem diuisionem, sciscitaberis, an quemadmodum ad veritatem propositionis copulatiuæ requiritur, vt omne eius obiectum ita sit, vt affirmat, & nullum aliter, v.g. si enuncia-
P. Lyncei Philosophia Tom. I.

tio sit hæc, Petrus, & Paulus currit, vt ambo currant, & neuter desinat currere, ita similiter opus sit ad veritatem huius disiunctiue (par autem est ratio cuiusvis alterius) Petrus, vel Paulus currit, non solum, vt aliquis eorum currat, verum etiam, vt aliquis non currat, nec totum quod asseritur existat re ipsa.

40 Affirmant Cicero in Topicis hisce verbis, reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: aut hoc, aut illud: hoc autem non igitur illud: Itemque aut hoc, aut illud: non autem hoc: illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ræte sunt, quod in disiunctione plus vno verum esse non potest. Aulus Gellius lib. 16. noctium Atticarum cap. 8. ex omnibus, inquiens, quæ disiunguntur, vnum esse verum debet, falsa cætera: quod si, aut nihil omnium verum, aut omnia plura veræ, quam vnum, vera erunt, tunc id disiunctum mendacium est. B. Thomas, opusc. 48. cap. 18. vbi sic habet: ad hoc, vt propositio disiunctiua sit vera, semper oportet, quod altera pars sit falsa, ita videlicet, quod prima pars sit falsa, & secunda vera. Item lauellus tract. 3. log. cap. 4. & tract. 9. cap. 4. parte 6. §. sed aduerit. Titelmanus lib. 3. dialecticæ considerationis cap. 20. ad finem, & lib. 4. cap. 28. Auerla tract. 3. institutionum cap. 9. tamen si moderatione quadam adhibita, quæ me iudice non est adrem. Tolet. lib. 1. Summul. cap. 19.

Contrarium tamen, & his temporibus communis est, & sponte sua verisimilius. Suadetur autem primò, quia hæc propositio, aliquis homo currit, non asserit aliquem non currere: luce clarius enim est, eam esse affirmatiuam, non negatiuam: aut ergo aliquem hominem non currere neutiquam requiritur, vt sit vera; aut certè veritas illius non desumitur ab obiecto, eoque quod representat, quo tamen quid falsius: Rursum secundò, vt optime arguunt Arriaga nobis fauens disp. 2. summul. sect. 3. num. 16. & Hurtadus disp. 4. Summul. sect. 3. §. 1. ita nostram amplectens sententiam, vt non nihil contrariæ deferat quod ait Christus Matthæi cap. 18. vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, verum esse potest tamen non duo tantum, sed tres etiam sint in eius nomine congregati: ac facta hypothesi vtriusque numeri, haud propterea desinet Christus esse in medio suorum: similiter ergo hæc disiunctiua, Petrus currit, vel Paulus currit, esse poterit vera, licet non vnus eorum duntaxat currat, sed vterque. Deinde tertio: voluntas disiunctiua non est exclusiua alterutrius extremi, alias præceptum, quo Ecclesia Sacramentalem confessionem aliquo ex quindecim diebus Paschatis præcipit, quindecim dierum excluderet aliquem; nec ei satisfaceret, qui iis diebus quotidie confiteretur: pari ratione propositio disiunctiua alterutrius extremi exclusiua non est, ac proinde quamuis vtrumque simul existat, nihilominus vera euadet. Quarto tandem hæc propositio, nullus homo est animal, est falsa: ergo est vera eius contradictoria, nimirum hæc, aliquis homo est animal: at quin aliquis homo desinat esse animal: haud ergo opus est ad veritatem disiunctiue propositionis, vt non sit re ipsa pars altera disiunctionis per eam representata.

41 Non me latet eum, qui exterius profert hanc propositionem, Petrus, vel Paulus currit, innuere, se habere conceptum internum, quo iudicat alterum duntaxat eorum currere, alterum verò, quod consequens est, non currere: nam concipiens, ac iudicans vtrumque currere, frivole, & satis ex vano exterius affirmet vnum, vel alterum, & non potius vtrumque currere, vt optime animaduertit Aristoteles lib. 10. metaph. cap. 4. Hinc fit, vt, si vterque currat, & id à
K k 3 loquen

loquente cognoscatur, eius locutio, & externa oratio sit mendax fallaxque: significat enim adesse conceptum, qui reuera non adest, sed potius oppositus.

43 At hoc nostræ non obstat sententia: præterquam enim, quod quæstio potissimè sit de propositione disiunctiua interna; aliud est externam esse mendacem, aliud falsam: prior denominatio est à respectu ad obiectum, quo, siue conceptum locutioni præuium, posterior à respectu ad obiectum, quod, siue rem cognitam: prior conuenit huic propositioni externæ ab hæretico mysterium Trinitatis non credente prolata, *Deus est unus*: mentitur enim A catholicus ita loquens: posterior verò, nimirum falsitas ei non competit: transeat ergo propositionem externam disiunctiuam, ne sit mendax, neque non verax, opus habere, vt aliqua disiunctionis pars non sit, vt simul haud sint ambæ: ceterum id non requiritur ad hoc, vt ea sit vera, & non falsa: impræsentiarum autem non de veracitate, sed veritate, nec de fallacia, aut mendacio, sed falsitate, quæ multoties est sine mentiendi crimine, disputamus. Adice, cum propositio externa disiunctiua est doctrinalis, & in materia necessaria, cuiusmodi est superius adducta, *aliquis homo est animal*, eam haud significare conceptum exclusiuum alterius partis, & consequenter, quin talis detur exclusio à parte rei, posse esse, non veracem modò, sed veram, & non tantum à mendacio, verum etiam à falsitate materiali: quam vocant, omnino alienam.

44 Quod spectat ad posteriorem diuisionem; quæres eam circa, an propositio causalis absolutæ ritu possit ad sui veritatem, vt id, quod affirmat esse, quia aliud est, absolutè sit, vel potius vera sit hoc solo, quod causa per particulam, *quia*, denotata, siue existat effectus, siue secus, sit ad eum necessaria, aut saltem utilis?

45 Censeo cum Auerſa loco superius citato ad veritatem propositionis causalis vtrumque desiderari, scilicet, & quod res absolutè sit, & quod dependenter à causa, supra quam particula, *quia*, appellat. Probat autem hunc in modum: propositio causalis non adstruit solum, dependere rem à causa, sed insuper, quod sit absolutè; neutrum ergo sufficit, vt ea vera sit, sed potius ad hanc denominationem opus habet utroque: consequentia est euidens, ac manifesta: suadetur antecedens.

46 Primo, quia hæc propositiones sunt falsæ, Petrus est equus, quia hinnibilis. Iudas saluus factus est, quia perseuerauit in gratia: at si tantum adstruerent dependentiam equinitatis ab hinnibilitate, aut saluationis æternæ à dono perseuerantiæ, essent veræ, vt quæ maximè: non ergò dependentiam alterutrum affirmant, sed præterea Petrum esse absolutè equum, & Iudam esse absolutè saluatum.


47 Secundo, quia ex his præmissis: omne rationale est homo, Petrus est rationalis, haud dubie colligitur semper, Petrum esse hominem: at ex iis colligitur haud raro conclusio supra præmissas reflectens, & affirmans, Petrum esse hominem, quia est rationalis, & omne rationale est homo vt constabit ex dicendis in metaphysica lib. 1. tract. 4. c. 13. & seqq. eiusmodi ergo propositio causalis asserit, Petrum absolute esse hominem.

48 Tertio, quoniam hæc propositio, *dies est, quia sol est*, merito particulæ illius causalis, *quia*, vel denotat diem absolute dependere à præsentia solis; & ita significat etiam, diem absolute esse, pro eo, ac contendimus in præsentia, cum fieri nequeat, vt effectus aliquis absolute dependeat, & emanet à causa, quin absolute sit in rebus, esse enim à causa est simplici-

ter esse: Vel propterea denotat tantum diem, si existat, dependere à sole; atque ita ea propositio erit non causalis, sed conditionalis, quo nihil magis ridiculum, absonumvè. Quarto tandem, quia ob id propositio conditionalis non affirmat rem absolute esse, quoniam esse tantum conditionatè, & esse absolute opponuntur inuicem: at esse tantum dependenter à causis, nec, nisi per influxum earum, & esse absolute, non sunt contraria, sed potius connexa mutuo: quid ni ergò propositio causalis assermet rem absolute esse? quid ni consequenter hæc ad sui veritatem efflagitet?

49 Contra tamen opponi potest. Hæc propositiones sunt veræ; omnis propositio est vera, quia conformis obiecto, omnis est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis est bonus, quia rationi consentaneus, omnis est malus, quia auersio à summo, & incommutabili bono, & conuersio ad commutabile, & creatum, omne ens finitum existit, quia causatur à Deo, omnis anima amat, quia prius cognoscit: At absolute non omnis propositio est vera, nec omnis falsa, haud etiam omnis motus voluntatis est moraliter bonus, omnivè in genere moris malus; haud item omne ens finitum absolute existit, sed plura sunt merè possibilia, & in abyſſo nihili latentia: multæ quoque animæ præcisè non amant, sed vel odio, aut timore, vel certè nullo sollicitantur affectu. Non pauca ergò propositiones causales sunt veræ, propter solam dependentiam effectus à causa sine huius absoluta existentia, & productione in lucem rerum à Deo creaturarum.

50 Hæc obiectio quamvis verisimilitudinem præferat aliquam, haud tamen agrè potest repelli. Respondeo igitur, sensum prædictarum propositionum esse hunc: omnis propositio, vera est vera, quia conformis obiecto, omnis falsa est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis bonus, est bonus, quia rationi consentit, omnis malus est malus, quia auersio, &c. omne ens finitum existens est existens, quia causatur à Deo, omnis anima amans est amans, quia prius cognoscit: At luce clarius est, omnem propositionem veram esse absolute veram, & omnem falsam esse absolute falsam, omnem item voluntatis actum bonum esse absolute bonum, & malum, malum, omne quoque ens finitum existens existere, & voluntatem omnem amantem amare.



TRACTATUS IV.

De veritate propositionum de futuro contingenti, absoluto, & conditionato.

CAPVT I.

De veritate propositionum de futuro contingenti absoluto.



SSERO primo, propositiones de futuro contingenti absoluto determinate veræ, aut falsæ sunt: Hæc assertio omnium Catholicorum reipsa mihi esse videtur, licet aliqui inter quos præcipuè Nominales solo nomen